



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **UNIVERSAE BIELORUSSIAE** SANCTUS MICHAEL
ARCHANGELUS PATRONUS CAELESTIS
PROVINCAE ECCLESIASTICAE MINSCENSIS
LATINORUM – MOHILOVIENSIS LATINORUM CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Universae Bielorussiae
catholicae clerus et christifideles sanctum Michaelem Archangelum veluti defensorem suum et custodem singulari cultu
venerantur. Quam ob rem Venerabilis Frater Noster Casimirus S.R.E. Cardinalis Świątek, Archiepiscopus Metropolita
Minscensis Latinorum – Mohiloviensis Latinorum, communia cleri et populi fidelis vota excipiens, electionem Sancti
Michaelis Archangeli in Patronum apud Deum Provinciae ecclesiasticae Minscensis Latinorum – Mohiloviensis Latinorum
rite approbavit, atque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero enixis eiusdem
Venerabilis Fratris Nostri precibus libenter obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et
Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum vi
perpetuumque in modum Sanctum Michaelem Archangelum Patronum caelestem Provinciae ecclesiasticae Minscensis
Latinorum – Mohiloviensis Latinorum confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de
Patronis constituendis indicantur (*AAS*, vol. LXV, 1973, pp. 276-279). Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose
serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibusvis rebus minime
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Iunii, anno MCMXCVI,*
Pontificatus Nostri duodevicesimo. ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana
